

X a  
4329





h. 15, 21

Xa  
4329

8.

CHRISTO. BENEDICENTE.  
**NIHIL. ALIQVID.**  
**OMNIA.**

PATRI. ET. MATRI. ET. PRIN-  
CIPIBUS. PATRIÆ.

vice. strenulæ.  
dat. dicat. dedicat.

Simul, et.  
PROCERES. FAUTORES. CIVESQVE.  
AUGUSTEI.

Ad. audiendas. binas. Orationes.

Die. 2. Jan. M DC. LXXX.

H. L. Q. S.  
recitandas.



decenter. invitat.

**CHRISTIANUS. BICCIUS. P.P.**  
et. Adv. Dic. Duc. Ordin.  
**WEISSENFELSÆ.**

Literis. JOH. BRÜHLII. August. Typ.



200. u. 19.





Uxuriet Romulea gens Calendis Januariis  
in strenis offerendis, offerat verbenas, det  
nummos, & monetas insignes, largiatur,  
vestes, mittat vina & cibaria cara pariter ac  
rara; Ego nihil horum habens *Reverendissimo & Serenissimo  
Principi ac Domino, Dno. AUGUSTO, Primati Germaniæ,  
Duci Saxonie &c. &c. Nutritio nostro munificentissimo, demissis-  
simum testaturus animum, do, dico, dedico N I H I L.*  
Nihil miraberis *Serenissime Princeps*, si, cum omnia Tibi  
debeam, vena mea & crenâ strenæ vice det *Nihil*. Ni-  
hil qui habet, nihil dat *l. q. 7. c. Diabertum in fin.* Etsi, ut,  
nihil dissimulem, nihil habenti, nihil desit. *Curt. l. 4. c. 1.*  
Sed & præeuntes ejusmodi Strenophoros habeo alios,  
quorum vestigia strenuè premo. [*vid. Lipen. stren. civ. qui-  
bus hanc inventionem debeo, citra tamen crimen qf.  
plagii, cujus seculū hoc nimis ferax.*] *Serenissime Princeps,*  
quocunq; Temet veritas, *nihil* Tibi occurrit. Mundum  
vide & in eo salum & solum, ast mundus ex *nihilo* factus.  
Penitius cum si rimaberis, admiraberis & *nihil* mundo  
pulchrius dixeris, cum Deus & Natura *nihil* in eo fru-  
stra fecerint. Et tamen *nihil* in mundo amabile, *nihil*  
stabile, *nihil* ex omni parte beatum, *nihil* interitus sui  
expers experieris. Te ipsum intuere, *Serenissime Prin-  
ceps*. Homo es: *Nihil* est in homine, sine DEI Numine,  
*Nihil* homine debilius, *nihil* flebilius *nihil* itidem nobili-  
us. Christianus es. *Nihil* sic debet formidare Christia-  
nus, quàm separari à corpore Christi. *c. 11. q. 3. c. 33.*  
Princeps es. *Nihil* est, quod lumine clariore fulgeat,  
quàm recta fides in principe, *l. inter claras C. de Summ. Trin.*  
*Nihil* tam peculiare Imperialis Majestatis, quàm huma-  
nitas. *l. fin. C. de don. inter Vir. & Ux.* *Nihil* tam proprium  
Imperii est, quàm legibus vivere. *l. 3. C. de test.* Archi Epi-  
scopus es. *Nihil* illo pastore est miserius, qui luporum  
laudibus gloriatur. Quibus si placere voluerit, atq; ab  
his amari delegerit, erit hinc ovibus magna perniciēs.  
*dist. 83. c. 6.* Sed & Augustus audis. *Nihil* ab Augusto Cæs.  
prudentius factum puta, quàm quod libellum confici si-  
bi curaverit, quo Opes publicæ continerentur, quan-  
tum civium, quot provinciæ, tributa, vectigalia, quæ  
necessitates, quæ largitiones. *Tacit. ann. 1. & 3.* Si surgis,  
*Serenissime Princeps, nihil* incipis, nisi precibus prius ad DE-  
um,

um factis, ut *nihil* sine ope divina aggredi videaris. *Curt. l. 3.*  
Si oras, *nihil* prodesse homini jejunare & orare credis, & a-  
lia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate revoce-  
tur. *c. 32. de consecr. dist. 5.* Si sacram Synaxin accedis, *nihil* in  
sacrificiis majus esse posse credis, quam corpus & sangvi-  
nem Christi, nec ullam oblationem hâc potiozem esse. *de*  
*consecr. dist. 2. c. 8.* Si cibum capis, *nihil* sic jucundum esse no-  
sti, sicut cibum benè coctum, *nihil* sic sensuum operari acu-  
men, *nihil* sic ægritudinem fugare, sicut moderatam refe-  
ctionem *c. 28. de consecr. dist. 5.* Si Consistorium intras, *nihil*  
justitiâ prius, *nihil* clementia antiquius ducis. Si quid inci-  
pis, *nihil* sine Consiliariis incipis, sed & ut hi *nihil* sine Te  
cæptent, providè pvides. *Nihil* in penatibus Tuis venale,  
*nihil* ambitioni pervium esse finis, *Tac. l. 3. ann. Nihil* Tibi  
amplius vis licere, quàm nobis. *Plin. ad Traj. Nihil* affecti-  
bus, *nihil* iræ, *nihil* lubrici indulges. *Nihil* assentatoribus  
*nihil* Momis, *nihil* Mimis tribuis, *nihil* esse stolidius ratus,  
quàm si rempublicam arrodant qui *nihil* in eam suo labore  
conferunt, cum *Anton. Pio. Nihil* agis, cujus Te pœniteat,  
*nihil* facis, quod non sit Virtutis exemplum. Si Costam Au-  
gustam aspicias, *nihil* JOHANNA WALBURGI augusti-  
us, *nihil* venustius vides. Si Principes Natos & Natas, *nihil*  
*Magdalena Sibylla* prudentius, *nihil* *Johanne Adolpho* generosi-  
us, *nihil* *Christiano* fortius, *nihil* *Sophia* castius, *nihil* *Christina*,  
*svavius*, *nihil* *Henrico* virtuosius, *nihil* *Alberto* animosius, *ni-*  
*hil* *Friderico* gratius, *nihil* *Mauritio* pulchrius deprehendis. Si  
Costam in busto & Natum & Natas denatas respicis, cheu!  
in *nihil* Eum & Eas reductas vides & luges, sed & iisdem *ni-*  
*hil* beatius, inter beatos degentibus, esse nosti. Si Te indui  
& exui curas, illud dies noctesq; meditaris: *Nihil* in hunc  
mundum importamus, *Nihil* ex hoc mundo exportamus.  
Si cubitum is, *nihil* morti similius esse cogitas atq; somnum  
mortis germanum, & *nihil* unquam verius dictum quàm  
illud: Ad lectum, ad lethum. *Nihil* ulterius cogitandum  
suggero, *Princeps Serenissime*, nisi illud Lipsii:


Humana cuncta fumus, umbra, vanitas, Et scænæ  
imago & verbo ut absolvam: *Nihil*. Habes *Serenissime Prin-*  
*ceps Nihil*, accipe nec *nibili* hoc *nihil* fac, Accipe, *Pater Patriæ*,  
ab eo qui *nihil* magis in votis habet, quàm ut *nihil* Te tangat  
& angat, *nihil* te affligat, *nihil* curas Tuas publico bono de-  
votas interturbet, ut possis non tantum hunc sed & multos  
sequen-

FKXa 4329

sequentes años sine querelâ sine offensa pervivere. Jam ad Te *SERENISSIMA PRINCEPS* alloquium verto. Augustus Tuus Coniux *Nihil*, Tu Augusta Ejus Coniux capito *Aliquid*. Non manibus sed animo. Est *aliquid* supra Te id est cœlum, Huc, id est Sursum cor animumq; ! Est *aliquid* infra Te, id est Terra. Huc id est deorsum mentem : Terra es & in terrâ reverteris. Est *aliquid* in Te, id est Conscientia, Angelus humanæ menti præsidens, corrector adfectuum & animæ pædagogus. Hanc serva hanc custodi ulterius. Est *aliquid* extra Te, id est bona fama, Hanc affecta, hanc capta & prensa, ut solitas solâ virtute. Habes *Serenissima Princeps aliquid*, Hoc *aliquid* si, ut servas, servaveris, eris *aliquid*, etiam cum nihil eris, & cum non eris. Ast quid Vobis *Serenissimi Principes*, offeram ? Ut multa paucis : *Omnia*. *Omnia* mea, mecum porto & Vobis apporto, id est Jesum, qui *omnia* possidet, titulo quidem traditionis factæ à Patre. Hunc si habetis, habetis *Omnia*. Sed & mea *Omnia* Vobis affero id est studia mea quælibetq; vestræ gloriæ devota & præterea vota mea devotissima. Et sic *Nihil*, sic *Aliquid*, sic *Omnia* dedi. Sic ego pietatem cultumq; in *Patrem & Matrem & Principes patriæ* nunquam intermoriturum, sed novo subinde anno sese renovantem testari volui. Volui, ut potui, non potui, ut volui. Mementote Vos quoq; *Juvenes Studiosi* vestri officii. En prodi è coetu Studiosorum nostrorum *Strenophore Christophore à Posern*, strenue paternæ Virtutis æmule, prodi & prosa Latiali loco strenæ cum voto omnigenæ prosperitatis offer *Reverendissimo ac Serenissimo AUGUSTO* nummum Augusti. (*Quem describit Lipenius, Vir famâ & meritis magnus, Gamaliel meus olim Hale, & inde Sedinii Collega patris instar mihi cultus & colendus, in strenis Civilibus c. 3. §. 33.*) Sed & Tu *JOHANNES VÖLCKERE*, Drisenâ Neo-Marchice, alumne disciplinæ meæ jam olim perindustrie, antequam dividis strenam, *Lanienam Hagensem in Fratres germanos Joannem & Cornelium de Witte à plebe Hagensi die 20. Aug. 1672. patrâ* Romano itidem sermone recita, causasq; ejus per summas tantum & sobriè tange. Vos Procures, Fautores Civesq; Augustei adesse dicturis neu pigremini. Devincietisco ipso tantum Generosum Heroa à *Posern*, cujus pietas in Augustum & Augusteum Ejusdemq; Amasios multis experimentis nota, sed & nostrates instar generosorum eorum plausu hoc ac poppyismo ad stadium studiorum acrius decurrendum incitabitis. PP. ipsis Cal. Jan. MDC LXXX.

ULB Halle  
002 376 75X

3







h. 15, 21

Xa  
4329

8.

CHRISTO. BENEDICENTE.

NIHIL. ALIQ  
OMNIA.

PATRI. ET. MATRI. ET  
CIPIBUS. PATRIA  
vice. strenulæ.  
dat. dicat. dedicat.

Simul, et.,  
PROCERES. FAUTORES. CI  
AUGUSTEI.

Ad. audiendas. binas. Oratio  
Die. 2. Jan. M DC. LXX

H. L. Q. S.  
recitandas.



'decenter. invitat.

CHRISTIANUS. BICC

et. Adv. Dic. Duc. Ord

WEISSENFELS Æ

Literis. JOH. BRÜHLII, Augu



240. u. 19.

